





198  
DISSERTATIO  
DE  
MORALITATE  
ABORTVS, 1712, 27

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO 17  
DOMINO  
GVILIELMO HENRICO  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,  
MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE etc.  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI

INDVLTV  
IN ACADEMIA IENENSI  
PRO LOCO  
IN FACVLTATE PHILOSOPHICA  
OBTINENDO  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET  
PRAESES  
M. IO. FRIDERICVS VVUCHERER,  
MEINUNGENSIS,  
RESPONDENTE  
CHRISTOPH. GOTTL. SCHUMANN.

CALA - THVR, SS. THEOL. STVD.  
AD D. JAN. MD CC XII.

---

JENAE, LITERIS NISIANIS.

108

DISSECTATIO

DE

MORALITATE

ABORTIVIS

AVERTIENDO

PER BRUNO VON SCHNEIDER

ALUMNI UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ANNO 1771

HALLE

IN COMPTURBATIONE

PER BRUNO VON SCHNEIDER

IN BRUNO VON SCHNEIDER

ALUMNI UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ANNO 1771

HALLE

IN COMPTURBATIONE





I. N. D. A!

PRÆFATIO.



Uld iustum, iniustumque sit, ex variis fontibus cognoscimus: Scripturæ lumen veritatis radios spargit lucidissimos; & quid fieri debeat omittiue, ex voluntatis diuinæ iussu deriuat egregie. Nos seposita tantisper Scripturæ norma, Theologis permittenda; quid ratio valeat, inuestigabimus, in demonstranda *abortus moralitate*. Rationis quippe vires, vti exiles quidem, ita non plane nullæ sunt: Dei potius benigni, ex viribus rationi superstitibus, patefcit magnitudo, eiusdemque magni benignitas prorsus extraordinaria. Præferenda Scripturæ traditio: sed rationis, præsertim in actionibus, ad vitæ necessariam spectantibus directionem, vires non sunt supprimendæ omnino. Iuuat profecto naturæ lumen hominis officia, semper is, nescio an male, a rationibus pendet: & quoad fieri potest, officiorum



orum a Deo reuelatorum, rationem in natura inquiri : qua inuenta eo sollicitius exequitur Numinis voluntatem. Loquor de homine, rectæ rationis dictamen sequente : philautiæ serui nihil attinent ad me. Ita fontes humanæ cognitionis patent satis quidem evidenter : consentientibus viris, eruditione præstantissimis. Distinguit GROTIUS ius in Naturale, & voluntarium. *Naturale rectæ rationis dictatum vocat, ex natura rationali, vt tali proueniens. Voluntarium duplex constituit, diuinum & humanum. Jus voluntarium diuinum quod sit, satis, inquitente Grotio, ex ipso uocum sono intelligimus; id nimirum, quod ex voluntate diuina ortum habet. Quo discrimine, a iure naturali, quod item diuinum dici posse diximus, inter noscitur. Humanum autem est, quod ex voluntate hominis originem ducit, quod itidem, bene notante Grotio, varium est, aliud ciuile, aliud ciuili latius, aliud ciuili arctius patens.*

*de Iure Belli & Pacis Lib: I. c. I. §. X. p. m. s. seq.*

Vti autem ius tam varium est, ita iustum quoque : aliud ex natura, aliud ex Scriptura eruendum. Non abit a GROTII sententia PVFENDORFIVS, *Manifestum est, inquit, ex tribus velut fontibus homines cognitionem officii sui, & quid in hac vita sibi tanquam honestum sit agendum, tanquam omittendum haurire; ex lumine rationis, ex legibus civilibus; & ex peculiari reuelatione diuini Numinis, conf. præf. quam Tractatus de officio hominis & ciuis præmisit. Dicis; Scriptura quæuis exponit, quæ necessaria ad iustum, iniustumque cognoscendum. Sed rehero, non exponere specia-*

§§ (§) §§

specialia, sed tantum generalia. Legi merentur, quæ Venerandus BVDDEVS noster hac de re monuit in *Theologia Moralís Institutionibus*. P. II. Proleg. §. XI. p. 482. Tribus commode absolui institutum nostrum sectionibus crediderim, vt :

PRIMA, *abortus naturam,*

SECUNDA, *abortus moralitatem,*

TERTIA, *Vsum in Criminalibus exponat.*

Deus fauceat nostris cœptis !

SECTIO PRIMA  
DE  
ABORTVS NATVRA  
ET  
RATIONE FORMALI.

§. I. Adducunt Medici varios Abortus significatus. Sumitur aliquando *late*, aliquando *stricte*. Abortus *late* acceptus est omnis foetus partus, qui ante diem sibi a natura destinatum, non sponte, sed ex aliqua vi & accidente nascitur, etiam si vitalis dehinc existat.

*conf. ZACHIAE Quaestiones Medico-legales p. 53. seqq.*

Strictius est abortus foetus intempestiue editus, vel mortuus vel nullo modo vitalis. Propriissime abortus dici debet partus, a causa præternaturali aut externa per vim eiectus, dummodo non sit vitalis, vti ZACHIAS iudicat. l. c.

A 3

Qui-



002

§§ (6) §§

Quidam e Medicis antiquioribus, non adeo in laxo significatu, h. e. pro omni immaturi partus exclusione vocabulum abortus usurpant, sed tantum pro illa, quæ foetui iam quoad omnes partes organizato, nempe circa sextum vel septimum gestationis mensem accidit, illam vero, quæ intra primos duos menses contingit, non abortum salutandum esse existimant. Sed discrepantiam in terminis non magnopere curamus.

*conf. Christiani Job. LANGII Oper. Med. P. II. c. XXIV. §. 6. p. 156.*

§. II. Nos inseruientes magis scopo nostro, vilitatissimam præferimus abortus significationem, quæ abortus esse dicitur intempestiva & præmatura foetus eiectione, ab uteri vellicatione atque spasmu proveniens. *conf. Excellentissimi Michaelis Bernardi VALENTINI, Archiaztri Landgravi Hasso Darmstadiensis, & Prof. Giesseni Praxis Medicinæ infallibilis Sect. III. c. XVI. p. 304. seqq.*

§. III. Varia, antequam fiat abortus, antecedunt signa, qualia, ut brevibus multa complectar, sunt extenuatio mammarum, abdomen, quod antea surgebat, concidens. Adhæc lac antehac præsens deficit, aut vberim effluit, cum pedum & lumborum gravitate, doloribus circa os sacrum & horroribus crebrius intercurrentibus.

*conf. Valentini l. c.*

Sed ad nos signa abortus non primario attinent. Converterimur itaque statim ad abortus expositionem vberiorum. Vocant abortum, intempestivam & præmaturam foetus eiectionem : Quod si enim foetus lateat in utero usque ad tempus, quod alias excludendo foetui desti-





§§ (7) §§

destinatum est, non amplius abortus est, sed partus debito modo comparatus, ut vel hoc unico fundamento distinguere possis abortum a foetu maturo, quod hic tempestive, ille intempestive excludatur. Quod vel mulierculæ testantur, de abortu inquentes: Es ist der Frau unrichtig gangen / vel: Sie hat zu frühzeitig gebohren: licet quodammodo & inter has expressiones differentiam admittendam esse fateamur lubentissime. *conf. omnino LANGIUS loco supra citato §. 6. p. 156. & 151.* cum quo utilissime conferri poterit VALENTINI in *Pandectis medico Legalibus*, ubi aliquot exempla producit earum, quæ quinque, sex, septem etc: mensibus partum excluderunt, licet abortiisse dici non possint.

§. IV. Inprimis attendamus necesse est ad ea, quæ sequuntur in descriptione, ubi dicitur provenire abortus ab uteri vellicatione atque spasmu. Sed ipsa hæc vellicatio, ipse spasmus hic aut profluit ex causis naturalibus, ex naturæ vitio orientibus, aut ex causis præternaturalibus, singulis tamen ad abortum efficiendum concurrentibus. Circa determinandas causas abortus variant Medici. LANGIUS causam proximam abortus facit ipsam substantiam uteri, cuius præternaturalis vel coarctatio vel contraria laxatio foetum servare non possit.

*conf. Op. T. III. Disp. XLI p. 547. §. IX.*

Celeberrimus autem VALENTINI causam abortus proximam facit humores circulantes: siue peccent quantitate: in Plethora, siue qualitate, in Cachexia, siue motu in exercitatione vehementi aut adfectibus.

*conf. Praxis Medicina infallibilis loco supra citato.*

Sed



Sed ut humores circulum accipiant extraordinarium variæ causæ concurrunt. Huc spectant sequentes: Tenuior corporis textura, aer æstuans aut frigidus, & halitibus foetidis imprægnatus, cibus & potus, siue quantitate, siue qualitate peccantes, motus & itinera incondita, elevatio brachiorum & ponderum gestatio, ira, terror, medicamenta drastica, & venæ sectio intempestiva, febres, convulsiones, tussis, hæmorrhagiæ, dolores nimii, casus ab alto, plagæ, aliæque causæ plures, quas allegare singulas non erit necesse & ab instituto nostro alienum.

§. V. Magis huc faciunt causæ abortum procurantes, quæ studio & industria humana adhibentur, ut eiusmodi effectus functus sequatur. Colligere has licet ex causis abortum causantibus modo allegatis. Quicquid enim fundum uteri irritat, illud causat abortum, siue deinde irriteretur naturaliter, siue vi studio applicata. Procuratur abortus omnium certissime per potiones certis herbis infectas, vel per ipsas herbas, siue esu, siue potu, siue suffitu adhibitas: quas recensere merito hæreo. Relinquemus Medicis harum considerationem vberiore. Nam licet alias propter abusum, rei tractatio omittenda non sit: consultum tamen nonnunquam est, res facile abusui obnoxias omisisse, quam occasionem abusui suppeditasse. Quatuor præ cæteris eminentem, quas videas in Medicorum scriptis passim allegatas. Sic ligatura strictior abdominis imprægnatis miro modo nocuit: sic contusio abdominis nonnunquam foetum in ipso utero necavit. Ut taceam alia, quæ apud Valentinum aliosque inuenies.

SECT.

§§ (9) §§

SECT. II.  
DE  
ABORTVS MORALITATE.

§. I. Turpitudinem abactionis vt demonstramus, quo tempore foetus viuere incipiat in vtero, inquiramus. Distrahuntur sententiarum diuortii eruditi. Alii ad animæ propagationem respiciendum esse aiunt, alii, nihil animæ cum vita esse commercii, adserunt. Priores in diuersas classes abeunt, alii Traducianos agunt, alii Creatianos.

§. II. Traducis defensores in eo consentiunt, animam cum Semine a parentibus in sobolem propagari.

conf. VALENTINI Pandectas Medico-legales.

S. I. p. 65.

Dissentiant quodammodo, quia alii animam humanam, ante quadragesimum diem post conceptionem, potentia tantum in semine esse, non actu : postea vero, vbi semen nonnihil elaboratum, & membra corporis quodammodo delineata sunt, tum demum per δύναμιν πλαστικήν, in semine hærentem, animam e potentia in actum deduci, excitari & accendi, ita, vt, quæ antea latebat in potentia, nunc actu esse, viuere & corpus suum informare incipiat : citantibus ita Sennert. Hypomn. Phys. IV. c. X. p. 294. SPERLING. Tract. de Traduce p. m. 16. Alii animam a prima conceptione, quam primum semen patris & matris conjunctum est, & in vtero matris retinetur, & corpus formari incipit, adesse,

B

&



205

§§ (10) 58

& qui contrarium statuit, siue Traducis siue infusionis animæ patronus sit, eum a vero aberrare putant.

SENNERT. l. c. p. 392.

§. III. Creatiani circa tempus infusionis dissentiunt: Quidam existimant, id statim fieri post conceptionem. CONSENTINVS *Progymnasm. V. fol. 166.* ait: *Profecto sanior sententia, cui adherere par est, negat a progenitoribus dari animas: sed illarum ferendarum rationem vni ac soli Deo subiacere decernit.* Paulo post: Quæ a Deo post conceptionem protinus insinuatur in corpus. Cui quoque MARCVS MARCI *Phil. Vet. Resit. P. III.* ad stipulatur, & foetui humano nunquam deesse animam rationalem putat, etiam ipso conceptionis momento.

VALENT. *Pandect. Medico-legal. P. I.*

*Sect. I. p. 69.*

Cum cor sit principium vitæ reliquorum, rationi consonum videri, animam tum infundi, quando iam adest principium vitæ humanæ. Quod si ita est, sequitur, non multo post conceptionem & forte ante diem tertium, ut voluit FIENVS, hanc infundi. Verum, ita subiungit, ab opinione iam dicta, auctoritas Ecclesiæ me retrahit. Quo etiam HIPPOCRATES abire videtur, ab initio lib. *de atate iniquens p. m. 312.* *Vita hominis septem dierum est, primum enim, postquam generatur in utero pervenit, in septem diebus habet, quantumque corpus habere debet.* Alii contra defendere fatagunt, eo tempore, quo foetus incipit moveri, vel non ante tertium quartumque mensem, quo tempore cor,

*Rehov. de unigenito...* cerc-



cerebrum, iecur, non solum incoata, sed absoluta iam & consummata sunt, animam in corpus migrare.

RODERIGVS A CASTRO *Lib. III. de natura mulierum c. XVIII. fol. m. 164.*

§. IV. Eliciunt inde consecrarium hoc : Anima praesente, vitam praesentem esse, anima absente, vitam absentem esse : Maius ergo committi delictum in procurato abortu foetus iam viui, quam vita adhuc destituti. Soliditatem huius argumentationis reuocant alii in dubium : cum per animam intelligamus quidem non autem viuamus, nisi velimus brutis animantibus, propter vitam eorundem, attribuere animam intelligentem & rationalem. Potest corpus viuere, si vel maxime anima ipso demum partus tempore accedat. Vbi enim adest circulatio sanguinis & spirituum non illibata : ibi adest vita, fatentibus Medicis excellentissimis. Cessante ista, cessare etiam vita debet. Placuit tamen sapientissimo Numini, animam ita alligare sanguinis circulationi, ut cessante hac exire velit ipsam animam. Praterea nihil accedere, aiunt emolumentum istis, qui per animam viuere aiunt : quia tot ab utraque parte sese offerunt difficultates, vt soluendis iis non sufficiat intellectus humanus. Esto, per Traducem propagari animam, quomodo semini materiali vim producendi immateriale quid inesse, euincere poterunt. Prodit quidem in rebus naturalibus vna ex altera : quaelibet tamen supponit effectum causae proportionatum : & effectum viribus causae non aduersantem. Videtur autem aduersari viribus causae, quae est materialis, producere effectum, qui est immaterialis. Nec est, vt recur-

B



currant Traduciani ad omnipotentiam diuinam. Pri-  
mo enim non decet ad omnipotentiam semper confu-  
gere diuinam in resoluendis difficultatibus Philosophi-  
cis; ideo rationem Deus dedit omnipotens, vt, quoad  
fieri possibile est, eam excolamus, & quo modo agat  
omnipotentia diuina, inquiramus. Is certe compen-  
diolum Philosophiæ breuissimum amplecteretur, qui in  
resoluendis quæstionibus semper regerere posset: Ita  
est phænomenon hocce, ratio, quia Dei omnipotentia  
ita voluit. Deinceps, si vel maxime hunc philoso-  
phandi modum concederemus, nihil adhuc lucrabun-  
tur Traduciani. Deus, qui est omnipotens, agere po-  
test, & agit sæpe per omnipotentiam: sed respectu ha-  
bito ad conditionem materiæ reique, qua mediante ag-  
git: Quodsi contrarietur naturæ rei, hoc modo age-  
re, alium sequitur agendi modum rei proportionatum.  
Cum ergo repugnare videatur materiæ rationi formali,  
Deus præsumendus, alium elegisse modum progignen-  
di animas. Materiæ autem repugnare non-materiam  
clarius est ex ipsis verbis, quam vt egeat demonstratione  
fussiori: Sed non maiori gaudent prerogatiua Creatia-  
ni, hi recurrunt ad immediatam a Deo factam animarum  
productionem: in eo quidem quemlibet habebunt ad-  
sentientem, Deum posse facere, vt ex essentia illius pro-  
deat anima spiritualis: Spiritum prodire ex spiritu  
haud absolum est: in primis spiritum finitum ex spiritu  
infito, immenso, cuius potentia sese extendit ad o-  
mnia. Nihil tamen minus insignis superest difficultas,  
vnde peccato anima inficiatur? Deus, qui est ipsa san-  
ctitas, non inficiet: nec corpus; impuritas animæ a re  
bruta

bruta dependere nequit solitarie. Vnde ergo impuritas? hic hæret aqua. Cum ergo ab utraque parte tot offerantur difficultates, quibus soluendis nemo sufficit Philosophus, ergo mittamus quæstionem, & vnde vitæ fetus coniciatur, ope aliorum signorum indagemus. Evidentissimum quidem signum est motus a muliere in utero perceptus: sed foemina quidem hoc evidentissimum est, utrum gestanti, non aliis, imprimis ista pro viribus dissimulante foetum. Quare ad alia perueniamus necesse est, modo sit possibile, quædam signa determinare.

§. V. Vitalitatem foetus comprobare quibusdam videntur (I.) Ungues: quorum carentiam pro signo non-vitalis foetus habet *Hippocr. in lib. de superfet. Sect. II. Text. XXI. & XXII. p. 74.* (II.) meconium, excrementa naturalia tanquam effectus testantur de causa sua, h. e. nutrimento iam dudum a calore vitali probe elaborato.

*vid. VALENTIN. in Pand. sæpius citatis.*

(III.) intumescencia corporis. Sed signa hæc sunt probabilia, non apodictica teste ARISTOT. *Hist. Animalium lib. II. c. III.* Quidam ex immodico salis usu, a pragnante usurpato, sine vnguibus nati fuerunt, cuius rationem adfert MERCVRIALIS *lib. I. de morbis mulierum c. vlt.* Assano excrementorum ex calore quoque immoderatiore aliisque causis oriri potest. Mire placuit FACULTATIS GISSENÆ *responsum*, quod ubi de procurato abortu agitur, potius ad hominem perfectum, quam perficiendum respiciendum sit. Quæ perfectio non tam in anima, quippe immateriali, quam

402

§§ (14) §§

in membris corporis rite & ad operationum sufficientiam elaboratis consistit, & circa medium gestationis tempus contingit.

conf. VALENTINI *Pandectas Medico-legales* p. 73.

§. VI. Thesis ergo demonstranda nostra est: Hominem, abortum studio procurantem, turpe comittere facinus: cuius turpitude tanta sit, ut & ipsa ratio eandem agnoscat.

Agnoscit ratio certo quodam principio intercedente: quo fundamenti loco substrato, ferri deinceps iudicium potest atque debet de actionis turpitudine. Quare merito, quodnam sit principium cognoscendi, disquiritur, ex quo, abortum studio procuratum turpem esse, demonstrari possit? Non ita absolute responderi potest, quia variantibus Juris Naturalis principiis, variare iudicium debet. Summus ille Juris Naturalis restaurator HUGO GROTIUS ponit honestatem aut turpitudinem actionum intrinsecam, quando ita argumentatur: *Quicquid per se convenit naturae rationali, ut tali, illud honestum est: quicquid disconvenit, illud turpe est.* Esse aliquid, VIR ait EXCELLENTISSIMVS, iuris Naturalis, probari solet tum ab eo, quod prius est, tum ab eo, quod posterius, quarum probandi rationum illa subtilior est, hac popularior. A priori, si ostendatur rei alicuius convenientia aut disconvenientia necessaria, cum natura rationali ac sociali: a posteriori vero, si non certissima fide, certe probabiliter admodum, iuris naturalis esse colligitur id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale esse





esse creditur. Nam uniuersalis effectus uniuersalem requirit causam. Talis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse, prater sensum ipsum, communis qui dicitur.

de Jure Belli & Pacis Lib. I. c. I. §. XII. p. m. 12.

Igitur, si velimus ex GROTHII argumentari principiis, ita procederet demonstratio :

Quicquid disconuenit naturæ rationali necessario, illud turpe est.

Atqui abortus studio procuratus disconuenit naturæ rationali necessario.

E abortus studio procuratus turpis est.

Maior constat ex principiis Iuris Naturalis, quæ sufficentissime exposuit in Opere de Jure Belli & Pacis, in cuius elogia quasi conspirarunt eruditi. Minorem nemo negauerit : destructio substantiæ viuæ vel maxime disconuenit naturæ rationali, hæc quippe summo studio tendit ad sui ipsius conseruationem. Hoc vnicum in hac demonstratione videtur posse desiderari : quod prouocat ad honestatem & turpitudinem intrinsecam, quæ aduersus pertinacem aduersarium aduersarium defendi non potest, nisi adsumatur principium quoddam summum, quod imponit necessitatem, actiones ita non aliter instituendi. Sunt tamen celeberrimi viri, quibus præ cæteris GROTHII arridet principium, quorum auctoritati nihil volumus derogatum : nobis solitarie consideratum, quod pace tantorum virorum dixerim, non placet.

§. VII. Illustri PVFENDORFFIVS, quæ in GROTHII demonstratione deficiunt, supplere conatus est, addita

Nu-

Numinis supremi existentia, & hoc legislatore adsumto, imponente obligationem creaturis intelligentibus, vt hoc non alio modo agant.

Meretur certe eius sententia expendi uberius. Pōnit nempe hoc Juris principium : *Cuilibet homini, quantum in se colenda & conseruanda est pacifica aduersus alios socialitas, indoli & scopo generis humani in vniuersum congruens. conf. Huius Opus de Jure Natura & Gentium lib. II. c. III. §. XV. p. 197. seqq.*

Hactenus GROTIUS non aduersatur : cum & hic ad societatis custodiam prouocet. Sed addit iussum Numinis, legislatoris, vt conciliet obligationi firmitatem eo maiorem. *l. c. §. 20. p. 206. seqq.* conferri meretur *Venerandus BVDDDEVS instit. Theol. Moralis P. II. c. II. §. III. p. 542.*

Ad nostrum institutum si propius accommodauerimus, ita ratiocinari nos oportebit :

Quicquid repugnat socialitati pacificæ, à Deo supremo Numine & omnium summo imperante iniunctæ, illud turpe est.

Atqui abortus studio procuratus repugnat socialitati a Deo iniunctæ.

E. abortus studio procuratus est turpis.

Maior supponitur manifesta. Namque nisi huic sua constaret veritas, destruere liceret genus humanum, præter mentem eius, qui genus humanum creauit.

Minor vel exinde patet, quia excinditur membrum reipublicæ, quod forte poterat aliorum inferuire vñibus. Præterea summa iniuria inferitur foetui : abs quo vt æque homine tam enormis læsio abesse debebat.

Alia



Alia in quibusdam via incedit illustris THOMAS, qui in Jurisprudentia divina Institutionibus PV. FENDORFFIVM sequutus, custodiam socialitatis commendavit, tanquam normam actionum iustarum iniustarumque, demum mutavit sententiam & substituit hoc principium: facienda sunt, quae vitam hominum reddunt & maxime diuturnam & felicissimam; & euitanda, quae vitam reddunt infelicem, & mortem accelerant.

conf. *Fundamenta Juris Natura & Gentium*  
*Lib. I. c. VI. §. XXI. p. 124.*

Prona inde fluit ad scopum nostrum applicatio, hoc syllogismo:

Quicquid vitam aliorum violenter abrumpt, illud turpe est,

Atqui abortus studio procuratus vitam aliorum violenter abrumpt.

E. abortus turpis est.

Major vera est propter veritatem principii h. l. supponendam. Minor sua luce clara est: Hoc unicum Venerandi HOCHSTETTERI, Prof. Theologiae t. t. Tubingensis verbis addere liceat: Si quis omnia socialitate, hoc principium substernat, ea esse facienda, quae vitam hominum maxime diuturnam reddant: felicissimam autem esse, quae & maximam laudem mereatur, & suavissime transigatur, & omnium rerum gaudeat sufficientia, is fructum socialitatis & effectum cause sine medio substituit. Ceterum simul cogitare debet, nihil vile, nihil honestum esse, nisi societati conueniens aut sociale. vid. Colleg. Pufendorff. Exercit. IV. §. X. p. 158. seqq.

C

§. VIII. Bre



§. VIII. Breuissima via vult expedire celeberrimus HOCHSTETTERVS quæstionem nostram, quando *Exercit. X. §. VII. p. 432.* quæstionem ventilat: *An liceat iure Naturali abortum procurare, & an is sit homicidium capitaliterque puniri possit?* Prius negat, quia tametsi ex Parentum substantia excitetur soboles, ea tamen in æqualem cum illis conditionem humanam eleuatur. Verbo, quia æque homo est, adeoque ab ipsis illatæ parentibus iniuriæ capax. Posterius affirmat, quia abortum procurans hominem perdit.

*conf. l. supra cit.*

Taceo vias alias, secundum quas decisio quæstionis nostræ dari posset. Quotquot enim dantur principia, tot exinde confici demonstrationes possent.

*conf. Colleg. KVLPIII Grotianum Exerc. I. p. 9. seqq.*

*CVMBERLANDII Tract. de legibus naturalibus.*

§. IX. Ex mea mente perspicue pariter atque solide ita procedit demonstratio:

Prop. I. Fœtus in vtero latens non factus est ab homine generante.

Quamplurimi quippe generantes ignorant membra, quæ sunt in homine! Si ignorant, ignorantes certe facere corpus non possunt: facere quippe corpus innuit, summa cura, labore, consilio, construere illud, & ad certum finem aptum reddere. Ipsi generantes si vel maxime norint membra, nulla tamen est connexio inter horum notitiam, & effectum ex notitia fluentem. Certum itaque est, fœtum in vtero latentem non fieri, accurate loquendo, ab homine generante. Dignum est, vt commemoretur ARNOLDI GEVLINGI iudicium:

dicium : Me corpus meum agnosco clarissime non fecisse, me nihil simile facere posse : etiamsi enim tale aliquid corpus, aut generaverim forte, aut etiamnum generare possim : tamen generare tale corpus (planissime intelligo) non est facere tale corpus ; non magis sane, quam agrum conferere sit, frumentum & sicculos, quæ reddit ager ille, facere. conf. Tract. Eth. 1. Sect. II. §. 2. num. 3. p. III. seqq.

Prop. II. Dependet itaque fœtus ab alio :

Nulla res, quæ existit, dependet a se ipsa ; alias aliquid esset causa sui ipsius. Aliquid esse causam sui ipsius, implicat contradictionem ; quæ a nullo sano admitti potest.

Prop. III. Illud aliud, a quo dependet fœtus, non est ens finitum.

Quicquid finitum est, illius consilium se non extendit ad res numero infinitas, quia nihil ultra capacitatem suam sese extendit. Finitum consilium magnum esse potest, sed infinitum illud esse, εὐρύστατον.

Prop. IV. Si non est finitum, est non-finitam seu infinitum : quod Deum appellamus.

Datur quippe inter finitum & non-finitum nullum tertium. Si itaque fœtus in utero existens non est ab homine generante per prop. I., ab alio autem dependet per prop. II., illud, a quo dependet, non est, neque esse potest finitum per prop. III., sequitur inévitablem consequentia, dependere a principio infinito : quod Deus est.

Prop. V. Si fœtus est efficienter a Deo : sequitur Deum velle istius conseruationem.

Machinae humanae artificium admirantur omnes, quotquot contemplantur accuratius: quod gratis ita constructum praesumi non potest. Artifex vult machinam esse superstitem, si insignem isti elaborandae operam admouit. Ita Deus.

Prop. VI. Siue factus sit perfecte elaboratus, siue consistat adhuc in primis rudimentis, Deus istius huiusque conseruationem vult.

Istius vult conseruationem: ex ratione modo dicta. Huius, quia potest exurgere machina promouens gloriam Numinis omnipotentis, vilitatemque proximi.

Conclusio I. E. Qui destruit id, quod Deus vult conseruari, iniurius est in Deum, hominemque, qui conseruari poterat.

In Deum est iniurius: quia voluntati illius aduersatur. In proximum, quia adimit isti vitam, qui poterat accipere aut jam acceperat: adeoque summam iniuriam inferre, maior quippe iniuria inferri nequit, quam ademptio vitae.

Conclusio II. E. Qui iniurius est aduersus Deum, hominemque, peccat in ius naturae, turpitudinemque naturalem sibi attrahit. Inculcat ius naturae obsequium Deo praestandum, & prohibet seuerè iniuriam, quam proximo intentant mali. E. facilis est conclusio, eum aduersari ipsi Juri Naturali, qui praecipis illius aduersatur.

### SECT. III.

DE

## VSU IN CRIMINALIBVS.

§.I.A.

§. 1. Agnouere turpitudinem Doctores Iuris Ciuilibus, ipsique summi Imperantes: uti ex seueris poenis, huic crimini impositis colligere pronum est. Distingunt delinquentes, in eos, qui uiuum foetum abigunt, & eos, qui inanimatum: maiorem plerumque poenam adiudicant ei, qui perimit foetum animatum, ex sequentibus rationibus. (1.) Foetus uiuus anima iam creditur praeditus: quae destructa maius crimen secum fert, quam si destruat corpus vita nulla adhuc praeditum. Nollem tamen subscribere PAVLO ZACHIAE inquenti, *Qui animatum foetum delect, sacro baptismatis lauacro exspolians, uno eodemque tempore uita aeterna depauperauit. Quodsi homicida, qui temporalem uitam, quantum praesumere licet, saluimodo adimit, mortis reus, multo magis reus mortis debet esse is, qui poculum abortionis propinauit & animatum foetum interemit, cum illum & temporalis & aeternae uita bonis una denudauerit.* Falsum hoc est, quod quilibet animatus foetus damnationi aeternae ad iudicandum, nisi is fuerit tinctus lauacro baptismatis: contentus, non priuatio damnat Christianos. Foetus certe in sinu ecclesiae conceptus & animatus, per ipsas ecclesiae preces Deo offertur, & quodam uelut foedere iungitur eidem. Sed haec Theologis relinquimus uerberis discutienda. (2.) Nulla differentia est inter animatum conceptum, & natum iam hominem: nam & ille, ut hic homo est, quia habet iam rationalem animam. (3.) Quia procurans abortum animati foetus, multo maiorem vim naturae infert: nec solum conceptum perimit, sed & matri plurimum obest, il-

lamque in multo maius discrimen trahit: foetus enim non animatus, quia magis tenellus est, modica adhibita vi, ab utero excidit, atque hinc accidit, quod multo plures abortus contingunt, quum foetus anima caret, quam quum animatus est, scil. post quadraginta dies, teste Hippocrate. (4.) Si is, qui medicamentum præbet, conceptionem impediens aut generationem, tanquam homicida puniri debet, ut habetur ex *cap. si aliquis de homicid. cas. & volunt. & ex Consuet. Saxti V. in summ. Bull. n. 107.* multo magis puniri debet, qui iam formatum & animatum conceptum aboleuit.

conf. Zacchias l. c.

§. II. Quum itaque tanta sit turpitudine abortus studio procurati, inprimis animati, poena illius capitalis est, ex plerorumque Doctorum sententia. Quæ opinio sicuti verissima, ita in lure tam civili, quam diuino fundata est. *l. diuus. 4. ff. de extraord. Crim. l. si mulierum 8. ff. ad legem Corneliam de Sicar. l. Cicerò 39. ff. de pœnis, & ab Imperatore Carolo V. in Ordin. Crim. art. 133.* Straff derjenigen / so schwangern Weibsz Wildern Kinder abtreiben / recepta est: So iemand einem Weibsz-Bild durch Bezwang/essen oder trincken/ ein lebendig Kind abtreibt / so solch Ubel fürseslicher und böshaffter Weise geschicht / soll der Mann mit dem Schwerd als ein Todszschläger / und die Frau / so sie es auch an ihr selbst thäte / erträncket / oder sonsten zum Tode gestrafft werden.

conf. *Caroli V. Peinliche Gerichts-Ordnung.*

*art. CXXXIII.*

Con firmavit eandem expresse D. Augustus Elector Saxoniae



nia P. IV. Constit. IV. sanciendo, ut abigens partum, si in utero vivat, gladio puniatur.

conf. BENEDICTI CARPZOVII *Rerum Criminalium Pract. nov. P. I. Qu. XI. p. 49.*

Notavit ad hanc constitutionem modo laudatus Carpzobius (I.) Electorem sanxisse, ut foetus, post dimidium uterum gerentium tempus, pro animato habeatur. Sic enim imponitur finis disputationibus Doctorum. (II.) Constitutionem Electoralem comprehendere ipsam matrem, partum siue hausta potione, siue alio modo abigentem, ita, ut & hæc, si foetus vitalis, poena gladii plectatur. (III.) Eadem poena expresse teneri ipsummet parentem, abigentem partum; veluti si is, qui mulierem imprægnavit, iubeat eam foetum abigere, abortiones poculum præparando, ipsique præbendo. Dicitur: Non loquitur constitutio expresse de patre abigente. Resp. Si mater ipsa, ut & extraneus foetum abigentes puniantur, quanto magis tali poena pater plectendus erit.

conf. CARPZOV: l. c.

(IV.) Eadem teneri poena matrem, si aliis modis partum in utero interemerit, & causam abortui dederit, veluti si vim propriis visceribus intulerit, uterum manibus comprimendo, vel lapide aut ligno percutiendo, aut fortiter cingendo, vel sese in terram proiciendo, aut de loco altiori in terram se præcipitando: & hoc casu, si partus vitalis in utero perimatur, poena legis Corneliæ, gladii scilicet, obtinebit.

cuius constitutionis solidas rationes *vid. ap.*

CARPZOV. l. c.

Pœna rotæ nonnunquam in maiorem terrorem fuit addita.

dicta. conf. l. c. p. 51. Denique obseruandum, quod poena constitutionis Saxonicae irroganda non sit, nisi prius constet de efficacia medicamento, quo mulier partum abegisse fertur. Quod si enim medicamentum tam efficax non fuisset, atque abortus aliunde, casu forte fortuito, prouenisset, poena haec nullatenus infligi poterit.

conf. CARPZOVIUM l. c. ubi decisa varia videbis adducta.

§. III. Profluunt haec poenae ex turpitudine abortus studio procurati : Sed non desunt, qui indifferenter poena extraordinaria puniri volunt tam, qui animatum, quam qui inanimatum foetum abortu eiici procurauit : cui sententiae fauere videtur sacer Textus Exod. XXI. v. 22. seqq. conf. *textus legis, si quis aliquid §. qui abortionis : Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciunt, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in Insulam, amissa parte bonorum, relegantur. Quod si ex eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Quod ad locum sacrum attinet, ille omnino quantum secum ferre videtur difficultatem : Verba illius ita sonant : Si rixantes viri percusserint mulierem praegnantem, ut foetus eius exierit, nec tamen mors (mulieris) fuerit sequuta, mulctentur pro mulcta, quam eis imponet vir mulieris, eamque dent apud Iudices. Si vero mors sequuta fuerit, animam pro anima dabit. Videtur in hoc loco a) ortus non fuisse habitus pro homicidio, quia (1.) mulcta punitus fuerit, & quidem arbitraria. (2.) mors esse non dicatur, nisi mulier obiisset. (3.) quia nec anima in prole expulsa agnoscat. Si enim*

nim animatus fuisset, aut pro tali haberetur, utique Canon ille ad eum quoque casum debuisset applicari: *anima pro anima.* (4.) Græci verba: *Ἐξίερντ λιβερν ενυ.* ita transtulere: *καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς.* Satis quidem probabiles hæ rationes videntur: sed corrui earundem probabilitas, ubi sensus dicti alio modo fuerit erutus: Possset sane lex & hoc modo explanari. *Si fœtus exierit, mors tamen (fœtus) non fuerit subsequuta, tum sufficet multa.* Ita sane PHILLO ex parte accepit, edictum ita interpretatus: 'Εἰ δὲ ἤδη μεμορφωμένον, ἀπάντων μερῶν τὰς ἐνείκας τάξεις, καὶ ποιότητας ἀπειληφότων, ὀνησκέτω. Si iam formatum erat, omnibus membris suum ordinem, suasque qualitates nactis, moriatur. Si autem abortivum rude & informe fuerit: mulctetur, cum propter contumeliam, tum quod impedimento fuerit naturæ efformanti & effingenti hominem, animal pulcherrimum, quod vivum emitteret. Consentiunt Judæi Germani, in versione, quæ Amstelodami prodiit: Und wenn sich Männer zanken/und stossen eine tragende Frau/ daß ihr die Kinder abgehen: und wird anders kein Mord seyn/ soll er gestrafft werden/ gleich als der Frauen ihr Mann wird sezen auff ihn/ und er solls geben durch die Richter. Ist es aber/ daß ein Mord wird geschehen/ so sollstu geben Seele für Seele. Verba autem sequentia: *Oculus pro oculo: vertunt Judæi: Geld für Auge an Platz des Auges.*

vid. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufendorffianum*  
p. 432. §. VII.

D

§. IV. Mihi

§. IV. Mihi præ cæteris placet SIXTINI AMAMÆ iudicium, quod tulit in *Antibarbaro Biblico* in hunc locum. *In Ebr. Textu est יִוֹן exitium vel mors simpliciter, ut tam ad mortem prolis, quam matris referri possit, imo debeat, p. 356.* Paulo post addit: *De vniuerso textu hoc ego sic arbitror: si de sola muliere mors intelligatur, legem esse superuacaneam. Occisor enim eius lege generali tenetur. vide LYRAM & marginalia BENEDICTI.* *Vterque enim a nobis stat. vid. l. c.* Non abludit ab hac sententia BVXTORFFIVS: Nos cum PHILONE sentimus, coram Deo, quocunque modo res habeat, qui vel conceptum, vel foetum seu animatum, ut vocant, & formatum, seu inanimatum & informem abigunt, vel violenter occidunt, peccatores & transgressores huius legis esse; Nam (1.) inde a conceptione statim vita inest massa illi; licet rudi & informi: quia motui & mutationi est obnoxia, & indies accrescit. (2.) quia conceptio non fit fortuito, sed singulari prouidentia diuina, & eum in finem, ut iuxta leges ab eo in natura constitutas, formetur homo: vnde ab ipsa conceptione principium vitæ est petendum; RVTH. IV. 13. *& Deus dedit ei conceptum & peperit filium.* (3.) quia sic destruit opus, quod Deus ad suam imaginem struere incepit, & perfectionem eius impedit: *Deus est, qui nos format in utero matris* JER. I. 5. Formationis illius principium est conceptio. (4.) licet incertum sit, vtrum foetus ille sit suam perfectionem assecuturus, tamen non sequitur, impune nobis licere de eo pro nostro arbitrio disponere; imo, quia incertum nobis est, ideo a tali facto abstinere debemus,

bemus, & potius id dare operam, vt, quod Deus inco-  
 uit, foueatur & perficiatur, euentum Deo committere.  
 Quod (5.) de anima quadragesima vel quadragesima  
 quinta die infusa dicitur, incertum esse putamus, & re-  
 ctius forte de animæ facultate & operatione, quam de  
 eius essentia accipitur. (6.) Si ne semen quidem licet  
 perdere extra vsum suum, vt ex facto Onanis patet,  
 quanto minus, vbi iam est terræ suæ commissum &  
 concreditum. (7.) Quia si maxime nondum haberet,  
 foetus vitam, actu scilicet, habet tamen potentia, & vita  
 priuatur is, qui habere vitam potest, secundum leges  
 naturæ. Non tantum is occidit, qui manu occidit, sed  
 &, qui eum perire sinit, cuius vitam seruare posset.

conf. IO. BVXTORFFII *dissert. Theol. in Præ-  
 ceptum decalogi sextum de Homicidio; habita Bas-  
 ileæ s. 1663. Qu. 5. add. THEOD. HACKSPANII  
 Notas Philologico-Theologicas P. I. p. 372. seqq.*

§. V. Non ergo fauet locus sententiæ nostræ  
 aduersariis : Textus ex corpore Iuris Ciuilis allatus  
 vel ideo nihil contra nos euincet, quia ille expressam  
 mentionem facit duplicis cædis, qua contingente, pœ-  
 na homicidii sequi debeat. conf. *ipsam legem* : nec  
 remanebit dubium.

§. VI. Egimus hæctenus de poenis eorum, qui  
 abigunt foetum animatum : iam aliud quodam modo  
 formandum de iis iudicium, qui foetum in animatum  
 abigunt. Communis Doctorum opinio est, eum,  
 qui non animatum conceptum necauit, pœna extra-  
 ordinaria puniri debere. Ita CAROLVS V. So ein  
 Kind / das noch nicht lebendig wäre / von einem Weibs-  
 Bild



112

§§ (28) §§

Bild getrieben wurde / sollen die Urtheiler der Straff  
 halber bey den Rechts-Verständigen / oder sonsten /  
 wie zu Ende dieser Ordnung gemeldet / Raths pfle-  
 gen. conf. Peinliche Gerichts-Ordnung *artic. supra*  
*cit.* Consentiant & perspicue magis loquuntur con-  
 stitutiones Saxonica: ita CARPZOVIVS loco supra  
 citato: Si partus nondum vitalis fuerit, pro arbitrio  
 iudicantis, vel fustigatione vel relegatione aut carcere  
 mulier mulctetur. Valde quippe cum ratione conue-  
 nit, mitiori poena afficiendum esse, qui mitius  
 quam qui atrocius delictum admisit.

S. D. G.

COROLLARIA.

**D**Auid in Ammonitas tam crudelis non fu-  
 it, vti vulgo creditur, ex II. Sam. XII. v.  
 31. perperam intellecto: cuius versio hæc est  
 genuina: & populum, qui in ea erit, exire coëgit,  
 & posuit ad ferram, & in ferri fodinas atque ad  
 scalpra ferrea, postquam transire fecisset eos, vna  
 cum Rege suo.

Qui ablationem vasorum aureorum & ar-  
 genteorum Aegyptiacorum, ab Israëlitis fa-  
 ctam;



85 (o) 58

Etiam, Exod. XII. 35. furtum appellant, minus accurate loquuntur.

Affectus non habent sedem in voluntate.

Jus Naturale mater est quarumvis legum Civiliū.

Sermo nonnunquam debet discrepare a mente.

Civis innocentissimus in necessitatis casu bona seque ipsum pro patria offerre debet.

Matheſis non requirit totum hominem, eo quidem sensu, prout vulgo intelligitur.

Meteora terrent tantum rerum physicarum ignaros.

Absque notitia rerum Physicarum nemo agere potest idoneum Scripturæ interpretem.

Astrologia judiciaria debito destituitur fundamento.

Poëticus stylus prosæ orationi parum convenit.

Antiquissimi Græcorum Poëtæ, summæ sapientiæ capita sub variis τῆς θεογονίας fabulis, commentisque aliis occularunt.

Perfectus Orator, omnium artium & scientiarum notitia debet esse instructus: adeoque perfecto Oratore nihil rarius, indeque Cicero recte,



recte, plures dari Duces bellicos peritissimos,  
quam Oratores, infert.

Verborum selectus, nisi rerum accesserit  
nexus, non facit tersam orationem & elegan-  
tem satis : iudicii profunditas in oratore v-  
tramque facit paginam.

Memoria non est Historici principalis fa-  
cultas, sed iudicium primas partes tener.

Pythagoras, Plato, Aristoteles alique ma-  
gis merentur commiserationem, quam expro-  
brationem.

Historia ciuilis regulas suppeditat veræ  
prudentiæ.

Datur vera eruditio & non datur absque  
pietate.

A phrasibus Platoniceis, *Deus non existit,*  
*Deus est non-ens,* sedulo abstinendum, licet ali-  
quam admittant excusationem.

Cultum Dei externum, huiusque necessi-  
tatem docet sana ratio, quicquid molian-  
tur aduersus hanc veritatem recen-  
tiores quidam.










VD 18

ULB Halle  
006 754 961

3







B.I.G.

Farbkarte #13

198

1712+27

17

DISSERTATIO  
DE  
**MORALITATE  
ABORTVS,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,  
MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE ETC.  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
INDVLTV

IN ACADEMIA IENENSI  
PRO LOCO  
IN FACVLTATE PHILOSOPHICA  
OBTINENDO  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET  
PRAESES  
**M. IO. FRIDERICVS VVUCHERER,**  
MEINUNGENSIS,  
RESPONDENTE  
**CHRISTOPH. GOTTL. SCHUMANN.**

CALA - THVR. SS. THEOL. STVD.  
AD D. JAN. MDCCXII.

JENAE, LITERIS NISIANIS.